



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XXXIV. Ad odium, & vindictam spirantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## EXHORTATIUNCULA XXXIV.

## Ad Odium, &amp; vindictam spirantes.

## I.

**O** Fili! Misereamur nostri! *Omnis* (ait Christus per dilectum suum Joannem) *qui odit fratrem suum, homicida est.* Si homicida: ergo & indignus Dei gratia, atque misericordia. Doctrinaliter hinc Basilius Magnus: *Qui odit fratrem suum, eo ipso fit odio ipsi Deo.* Proin oportet tantum abesse odium à Christiano, quantum quisque abesse cupiat à Dei odio, & quantum odium distinguit Christi discipulum à diaboli filio.

*Instructio meritoria.*

Charitate proximi qui caret, vivens est mortuus. Caret enim vitâ spirituali, quæ est perfecta charitas. Pro hujus stabilitate in cordibus omnium hominum invocemus Spiritum Sanctum *per officium minus* cum Lytaniis de eodem. Spiritus amoris est. Promittitur: sed solis amantibus. Locus pro odio solus infernus!

## II.

**C**Hristiane! Verissimum est: nil adeò difficile, quam non meminisse offensæ, & offendentem diligere. At id ipsum imperat Christus: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Benefacite his, qui oderunt vos.* Clamat fortè rebellis passio: irascimini! Vindicate! Clamat autem & JEsus: *Diligite! Benefacite!* Fili! Cui obediemus? An Christo pro nostra gloria? An odio

odio fraterno ad nostra supplicia? Aut hinc ignoscendum! Aut ibi comburendum!

*Instructio meritoria.*

Pro omnibus, qui offenderunt, vel oderunt nos, opera hodiernæ diei universa offeramus Crucifixo JEsu septies repetitâ morientis tesserâ, & petitione: *Pater! Dimitte illis! Quia nesciunt, quid faciunt.* Addamus & officium de suavissimo Corde JEsu. Odia sunt restringenda; Charitas verò amplianda cum sui ipsius victoria.

III.

**A**Mice! Ad quid perditio hæc? Noctes, & dies sæpe impendimus integros, ut spiritum expleamus ultionis, & malum pro malo reddamus. Interim fatiscit corpus: deficit Christianæ virtutis spiritus: evacuatur anima: expellitur à corde Dei gratia. O Chare! Non sic! Non sic! Non demus (rogat D. Gregorius) affectibus tempus, ne tractu temporis incendium ex parva scintilla oriatur inextinguibile. Terreant & S. Apostoli verba: *Si invicem mordetis: Videte, ne invicem consumamini.*

*Instructio meritoria.*

Nobilis ultio offensarum oblivio. Hanc ut tribuat JEsus de Cruce latroni ignoscens, oremus pro omnibus ultionem spirantibus, ut convertantur ad lenitatem, & misericordiam suis inimicis, vel persecutoribus præstandam. Pro quorum conversione per septem dies quotidie unum ex psalmis pœnitentialibus persolvamus

jun-

jungendô primas orationes, quas invenies Lytaniis de omnibus sanctis annexas. Clama sæpe fili mi! O cœli! Date animas! Date & has sinè numero innumeras!

EXHORTATIUNCULA XXXV.

Ad Christianos respectu, & beneplacito humano corruptos.

I.

**C**Hristiane! Quomodo Judici quondam respondet, cujus loco nunc hominem adorat? Judæi Deum postponebant homini, latroni: Quid aliud agimus nos? Si hominem observare mens est, observemus *Hominem Deum*, in quo est omne Verum, & Bonum.

*Instructio meritoria.*

Quoties cubiculum intraverimus, flectamus, & dicamus: *Vivit Dominus! In cujus conspectu sto, quem timeo! amo! & diligo.* Mox subjungatur Hymnus Ambrosianus: *Te Deum Laudamus.* Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

II.

**F**ili! Et quid est homo, in quem ita sperat, ut & illius amore quæcunque propõsita bona, aut virtutum opera frequenter intermittat? Genesin inspiciat! Paulò antè nihil, nunc vivum cadaver, & saccus stercoreum; brevè cinis, & esca vermium. Et tamen homo pluris æstimatur Deò. Sed væ vobis! JEsus dixit: *Qui me erubuerit, & meos sermones; hunc filius hominis*